

fatendum est: nisi forte tanta ubertas et varietas pomorum, eorumque jucundus non gustatus solum, sed odoratus etiam et adspectus dubitationem affert, quin hominibus solis ea natura donaverit. Tantumque abest, ut haec bestiarum etiam causa parata sint, ut ipsas bestias hominum gratia generatas esse videamus. Quid enim oves aliud afferunt, nisi ut earum villis confectis atque contextis homines vestiantur? quae quidem neque ali, neque sustentari, neque ullum fructum edere ex se sine cultu hominum et curatione possent. Canum vero tam fida custodia, tamque amans dominorum adulatio, tantumque odium in externos, et tam incredibilis ad investigandum sagacitas narium, tanta alacritas in venando, quid significat aliud, nisi se ad hominum commoditates esse generatos? Quid de bobus loquar? quorum ipsa terga declarant non esse se ad onus accipiendum figurata; cervices autem natae ad jugum; tum vires humerorum et latitudines, ad aratra trahenda. Quibus quum terrae subigerentur fissione glebarum, ab illo aureo genere, ut poëtae loquuntur, vis numquam ulla afferebatur.

Ferrea tum vero proles exorta repente est,

Ausaque funestum prima est fabricarier ense,

Et gustare manu victum, domitumque juvenum.

Tanta putabatur utilitas percipi ex bobus, ut eorum visceribus vesci scelus haberetur.

Cap. LXIV. Longum est mulorum persequi utilitates et asinorum; quae certe ad hominum usum paratae sunt. Sus vero quid habet, praeter escam? cui quidem, ne putresceret, animam ipsam pro sale datam dicit esse Chrysippus. Quae pecude, quod erat ad vescendum hominibus apta, nihil genuit natura fecundius. Quid multitudinem suavitatemque piscium dicam? quid avium? ex quibus tanta percipitur voluptas, ut interdum Pronoea nostra Epicurea fuisse videatur. Atque haec ne caperentur quidem, nisi hominum ratione et sollertia. Quamquam aves quasdam et alites et oscines,